

rursus eodem detumescit, & se in suas ripas revocat; cum *Trenta* semel exurgens & ripas superans agris totos quatuor vel quinque dies incumbit. Sed ad flumina influentia. Primus est

Hans.  
Churnett.  
De-la-  
Cres.

*Hans*, qui terra absorptus ad tertium milliare erumpit. Inde *Churnettum* fl. socium admittit, qui aquas agit per *De-la-Cres* Monasterium à Ranulpho ejus nominis tertio Cestriæ Comite constructum, *Leike* mercatu notum, & *Aulton* Baro-

Aulton.

num de *Verdon* olim castrum, à quibus per *Furnivallos* ad *Talbotos* Salopiæ Comites descendit. *Tein*

Tein.

amiculus paulo inferius in *Dovum* allabitur, qui haud procul à *Cheddle* exortus antiqua *Bassettorum* sede, qui à *Bassettis* de *Draiton* stemma deducunt, meatu adeo tortuoso serpit, ut intra mille passus quater transmiserim. Prope hunc in cœmeterio de *Checkly* tria saxa instar pyramidum sunt erecta, quorum duo imaginibus insculpuntur, medium vero altissimum. Incolæ tradunt prælium ibi initum inter duos exercitus, quorum alter armatus, alter inermis: & in eo tres cecidisse episcopos, in quorum memoriam hæc fuerunt posita. Quæ historica veritas sub hoc involvitur, nondum video.

Checkley.

Iam *Dovus* ponte è saxo solidissimo constratus *Vtcester*, Saxonice *Vtceok-cesten*, colle molliter acclivi, pratis floridis & re pecuaria magis dives quam structura elegans, subterfluit; quod frustra nomine conjecturæ adblandienti, *ETOCERTVM*, priusquam viderim, opinatus sum. Sed jam dies certiora edocuit. Postea cum jam *Trentam* propius *Dovus* accedit, *Turbury* castrum olim per amplum, quod & *Stutesbury* dicitur, ex alabastrino colle subjectæ regioni quasi minitans

Vtcester.

Tutes-  
bury.

invisit, ab *Henrico* de *Ferrariis* Normanno nobili una cum monasteriolo constructum, cui latifundia amplissima in hoc agro donaverat *Guilielmus* Primus, quibus omnibus tandem excidit *Robertus* de *Ferrariis*, Comes *Derbiæ*, cum iterum ab *Henrico* Tertio defecisset. Ille enim cū post multas quas Baronico bello turbas concitasset, in gratiam cum Rege rediisset, & fidem conceptissimis verbis in officio se permanfurum obstrinxisset; brevi tamen homo ingenio irrequieto,

ut fortunam quam flectere non potuit, plane frangeret, arma in principem induit, demumque captus, ut ex Actis publicis loquar, secundum formam obligationis suæ, hanc fortunarum & dignitatum jacturam longe maximam fecit. Lacus est alicubi in hac regione (si nos non fallit *Nechamus*) in quam nulla fera ullo modo intrabit, sed cum locus sit incertus & res incertior, solum ipsius *Nechami* versiculos adjungam, quibus pro titulo præfigitur:

De Lacu in Staffordia.

Rugitu lacus est eventus præco futuri,  
Cujus aquis fera se credere nulla solet.  
Instet odora canum virtus, mors instet acerba,  
Non tamen intrabit exagitata lacum.

In libro  
de laudi-  
bus divinæ  
sapientiæ.

De alio etiam lacu hac in regione sic scribit *Gervasius* *Tilburiensis* in Otiis Imperialibus ad *Othonem* Quartum, In Episcopatu *Conventrensi*, & Comitatu de *Stafford*, ad radicem montis cui *Mahull* nomen indigenæ indiderunt: est aqua in modum paludis ample diffusa: in territorio villa quam *Magdaleam* dicunt. In hac palude aqua est limpidissima, & sylva infinita continua, quæ tantam habet in resovendis corporibus efficaciam, quod quoties venatores cervos aliasque feras insecuti fuerint usque ad equorum lassitudinem, si in extremo estuantis solis ardore aquam gustaverint, ac equis exposuerint hauriendam, amissas currendi vires reparant, ut non currisse arbitreris.

Gervasius  
Tilburi-  
ensis.

Cæterum *Staffordiensis* titulus à *Roberto* de *Stafford*, quem *Guilielmus* Normannus magnis possessionibus accumulavit, ad nostra usque tempora in ejus progenie permanet. Familia si qua alia, clara, & antiqua: sed alternantis fortunæ vices subinde experta, primum enim Barones erant de *Stafford*, inde Comites, postea Duces *Buckinghamiæ*, & Comites *Staffordia*. Nunc vero suo fato ad pristinum Baronum titulum reciderunt, & amplissimæ hæreditates, quas honoratissimis conjugis adierant, quasi diffugerunt, lætiorque successit securitas, quæ cum fortuna in potentium ædibus cohabitare nescit.

Staffordia  
Comites  
& Baro-  
nes.

Habentur in hoc Comitatu Particia 130.